



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus XXIX. Auxilium Divinum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

TITULUS XXVIII. AURUM.

Aurum Judaicum populum sic suo captivavit aspectu, vicit illecebris, specie decipit; ut hoc esse Deum crederet &c. vide tit. avaritia §. 6. initió.

Siputavi aurum robur meum. Job. 31. 24. Sept: *Si posui aurum in conjugem meam.* Pro conjugere relinquit homo patrem, & matrem; sic qui aurum amat, nihili cognatos omnes facit præ illo. Uxor tantum in morte relinquitur. Auro autem homines tenaciter inhærent ut conjugi. P. Octavianus in Ecclesiastico c. 5.

Qui post aurum non abiit. Eccl. 31. 8. Noli amare aurum: si malus es, is post aurum; si bonus es, it post te. Quid est, it post te? tu ducis, non ducis: quia possides, non possides. S. Aug. f. 115. de diversis.

Vidit sedentem in telonio. Matth. 9. 9. Sedebat utique, qui stare non poterat pondere cupiditatis oppressus, & ipsa tota conscientia fraudis incurvus. Aurum naturam grave gravius fit avaritia nimis - vehementius aggravat corda, quam corpora. Nascitur in terra profunda, sectatur ipsa montium fundamenta; & dum suam sem-

per reptat ad naturam, coelestes animos ad inferna deponit, obscurat sensus semper; alta mentium semper in terrena demergit. S. Chrysol. f. 29.

Aurum materia laborum, enervatio virtutum, malus dominus, proditor servus. S. Aug. ex Append. de diversis.

Ille habet aurum, qui novit uti auro; qui autem auro uti non novit, habetur, non habet; possidetur, non possidet. Estote domini auri, & non servi auri. & quia aurum Deus fecit, & te super aurum ipse fecit ad subsidium tuum, & te ad imaginem suam. Vide, quod supra te est, & calca, quod infra te est. S. Aug. in Pl. 123.

Aurum, ut vite insidiatorem, peccati patrem, diaboli ministrum, vitabis. S. Basil. ad Chilonem de vita solitaria.

Aurum occultum tyrannum vocat S. Gregor. Naz. orat. 34.

Aurum ipsum, quid nisi est splendens quadam terra, & nitidius paulò lutum? Magnus Monomotapa rex novò elogio dicitur, Imperator auri. Just. Lips. Cent. 1. ep. 4.

TITULUS XXIX.

AUXILIUM DIVINUM.

§. I.

Varia nomina, figura, & Symbola.

Ego protector tuus. Gen. 15. 1. Hebr. ego sum clypeus tuus. Apud Alciatum emblema militis, qui scutum, quò hostium tela exceperat, cymbam fecit, quò fluvium trajecit; indeque clypeum osculatus; hic verus, inquit, & solus mihi amicus fuit, cum premererque solò cum premererque salo. Tale scutum suis est Deus. Cornelius. à Lap. hic.

Apud Hebræos exivit in proverbium, ut si quando in angustia constituti sunt, & Domini optant auxiliò adjuvari, dicant: *in monte Domini videbit.* Gen. 22. 14. hoc est, sicut Abrahamæ miserus est, miserabitur & nostri. S. Rupertus hic.

Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudivit eam. Gen. 30. 22. Quomodo recordatus est Rachelis, cum nullius rei, licet exigua, oblivisci possit? Resp. Abul. dicitur more humanò: homines enim, quando amicos in miseris adjuvant, non dicuntur recordari. Deus autem, qui aliquando videtur nos deserere, licet non deserat; quando rursus nos adjuvat, nostri recordari dicitur. Hujus styli conscius

Joseph, cum pincernarum præposito felicitatem jam prædixit in ergastulo, ait: *memento mei, cum bene tibi fuerit.* Gen. 40. 14. Recordatus igitur Rachelis est Deus; non quia unquam illius oblitus; sed quia modo miserus. Chaldaeus sic legit: *Et venit memoria Rachelis in conspectu Domini,* & suscepit orationem ejus. Ideo Deus Rachelis fuit memor, quia ipsa Dei memor. Obliviscetur tui Deus, si tu ejus immemor. Alvarez Joseph illustr. illustr. 1.

Et posuit Ephraim ad dexteram suam. Gen. 48. 13. Dextera significat auxiliium. *Operi manuum tuarum porriges dexteram.* Job. 14. 15.

Exurge Domine! Psal. 3. 7. Dicitur Deus per metaphoram exurgere, quando incipit juvare: quemadmodum dicitur dormire, dum non juvat. Bellarminus hic.

Miserere mei Domine, vide humilitatem meam. Psal. 9. 14. Sic sibi postulat subveniri, ut à clementissimo Rege videatur: quia vera conspectus ejus auxiliium est. Cassiodorus hic.

Dominus firmamentum meum &c. Psal. 17. 3. In Hebræo *petra* pro firmamentum, pro refugium *arx*, sive *munitione*. Bellarm. hic.

Extendi manum meam. Prov. 1. 24. Extendere manum, est beneficia offerre, & conferre, ait Beda, Corn. à Lap. hic.

Sub umbra illius. Cant. 2. 3. quia in ejus protectione confido, & ab eo inter adversa gubernari spero: Umbra enim Christi protectio Divinitatis est; quâ electos tuetur, & defendit, S. Thom. in Cant. hic.

In umbra tua vivemus. Thren. 4. 20. In tua protectione inter gentes iniquas à malis tui vivemus. ita Rupert. Hugo, Lyr. Corn. à Lap. hic. Bona est, & desiderabilis umbra sub alis Jesu; ubi tutum est fugientibus refugium, gratum fessis refrigerium. S. Bernard. hom. 2. super Missus.

§. II.

DEi proprium juvare, & ejus promptitudo.

Domine! nome ad te pervinet, quia perimus? Marci 4. 36. Magna profunditatis, & divina inclinationis est verbum, Domine &c. imò ad neminem pertinet, nisi ad te, si perimus: cui enim in creatione sumus; tibi ergo perimus, si tui sumus. Ad te solum liberare pertinet, ne pereamus, & reassumere de periculo, si incurrimus. Vocasti nos in promissione tua, sequimur te in fide nostra, vocasti nos miris modis, sequimur te vestigiis nostris; patrocina Mundi dimisimus & sub tua protectione confugimus. Sim. de Cass. l. 5. c. 2.

Ecce, quem amas, infirmatur. Jo. 11. 3. Non rogaverunt, ut veniret, & sanaret languidum; sed tantum inquirunt, ecce: amanti enim satis erat nuntiâsse. S. Rupert. Jo. hic.

Stephanus vidit Jesum stantem. Act. 7. 55. paratum videlicet ad sibi impendendum suffragium.

Quia Dominus es, adjuvare nos potes; sed quia Jesus es, nos adjuvare te decet; quia totus dulcis es, & pius. Veni ergo, & fac, quod te decet. S. Bonav. l. 3. de adventu.

§. III.

*Auxiliò humanò deficiente adest Divinum.**Figure, & Symbola.*

Puer Ægyptius ego sum, servus viri Amalicia; dereliquit autem me dominus meus; quia egrotare cepi. 1. Reg. 30. 13. At David ipsum fovet, & cibò recreat. Carthus. per puerum Ægyptium egrotantem, à domino suo derelictum, intelligitur quicumque secularis adversitatibus pressus, & à Mundi amatoribus spretus infideliterque desertus; quem Salvator misericorditer intuetur, consolatur, ac reficit. Sylv. Addit. in Luc. 14. 21.

Luna perfecta in æternum, restis in cælo fidelis. Pl. 88. 38. testis scilicet divinæ providentiæ, & bonitatis. Cur hoc non potius præstet soli? Luna nocte deserto, pavido adest; ideo testis divinæ providentiæ: quia magis desertis magis adest. Sylv. Addit. in Matth. 5. 14.

Abjecti à Mundo recolliguntur à Deo. Flos mali granati, qui vocatur balauftia, dum cadit ab arbore, colligitur à medico; Est enim hic flos frigidus, & siccus, ad multa utilis. Sic à Mundo despecti, quasi ab arbore cadunt, tanquam inutiles; sed à Domino assumuntur. Jo. Geminiani l. 3. c. 2. de vegetab. & plantis.

Abjecti, & despecti, à Mundo; suscipiuntur, & nutriuntur à Deo; cujus exemplum in pullis aquilæ: quia hæc illos cum multa gravitate nutrit: si tres pullos habuerit, unum abicit; quem tamen alia avis accipit, & nutrit. Sic, quem Mundus persequitur, gratia Dei misericorditer amplexatur. Id. c. 1. lib. 4.

Quando aliquis pater cum filio suo parvulo iter facit; si ad rivum, vel locum asperum, pervenit; pater puerum suis humeris, aut brachiis, bajulat; per planam viam solum sinit ambulare. Sic misericordiarum Pater in rebus difficilioribus filios suos juvat magis, & quasi humeris bajulat, ut vix laborem aliquem sentire videantur; in aliis verò rebus, quæ faciliores sunt, eos tantò favore non afficit. Diez. D. 24. Pent. conc. 1.

*Exempla, & Testimonia.**Ex Veteri.*

Faciamus ei adiutorium simile sibi. Gen. 2. 18. Homo velut sui oblitus, silet, nec à Deo petit sociam sibi consimilem; at Deus, tacente homine, nec petente, providet ei adiutorium. Cur Deus hominis curam suscipit, ipsò silente? si homo eget adiutorio, clamet, petat; cur Deus non petita concedit? Tacente homine clamabat necessitas; supersunt voces, si illa clamet. Did. de Castillo Illat. 95.

Fac tibi arcam. Gen. 6. 14. Arca erat, non ut navis; sed infra, & supra, lata, æqualis, plana. Philo, Arias Montanus, alique, dicunt, similem feretro, quò mortuus deportatur. Vehabantur illa arca, velut in loculo funerali, humani generis reliquæ: nulla vectoribus, si naturam spectes, videbatur spes salutis. At eò illustrius prodit virtus Dei ex diluvio, ex loculo ferali, exsuscitans eos in novam lucem, in novum Mundum. Fernandus hic.

Inclusit Deus Noe desoris. Gen. 7. 16. quia nemo erat, qui ostium foris oblimaret. Stengelius t. 1. de div. provid. c. 10.

Abiecit puerum subter unam arborum. Gen. 21. 15. q. d. suffice, Domine huic arbori in deserto aquas, quia omni ope aliâ destituta. Et sedens contra levavit vocem suam, & flevit. *Exaudivit autem Deus vocem pueri.* Quomodo pueri? mater flevit, illa rogavit; attamen filii tacentis vocem audit, unde subdit: *quid agis Agar? noli timere, exaudivit enim Dominus vocem pueri de loco, in quo est.* v. 17. q. d. necessitas vocem habet, quam Deus exaudivit, ut opem ferat deserto; Octavian. in Ecclesiasticum cap. 2. 6. Non

Non datis illi servis, non ancillis, aurò, vel argento, è domo iustus abire puerum. Theodoret. Quo magis desituitur humanò auxiliò, promptius experitur divinum. Alvarez Joseph illustr. illustr. 109. v. 21.

Non excendas manum tuam super puerum. Gen. 22. 12. Jugulanda jam innocens victima, omni humanò auxiliò erat desituita. Cum ergo nemo esset in terra, qui illi posset succurrere, cœlestè adiuvit auxilium. Did. de Castillo Illat 95.

Fuit 9. Dominus cum eo. Gen. 39. 2. Quem fratres dereliquerunt, Deus in tutelam, & honorandum, suscepit. Id. ib. illustr. 8. Quem homines abiciunt, Dei clementia suscipit. Hippomanus.

Sumpsit fscellam sërpeam. posuitque intus infanticulum, & exposuit eum in carecò r. p. a. fluminis. Ex. 2. 3. Nascitur Moyses, dum Phrao iubet, mares ut primum natos in flumen mergi, & pii parentes eum servare cupientes in fscella fluvio tradunt. Si filium illæsum volunt, cur derelinquunt, & aquis committunt? Ipsam derelictionem patronam eligunt, ut filium tutum servent: caret patrocinio puer innocens, mox aderit divinum. Id. illustr. 111.

Persequetur vos, & glorior in Pharaone. Ex. 14. 4. Omnia artificia hæc exquirit Dominus, quò Hebræi acceptum beneficium plaris æstimarent, eoque magis victoriã delectarentur; ac denique cognoscerent, Deum vel maxime in rebus desperatissimis auxiliari. Diez D. 4. Epiph. c. 2.

Nolite timere. Ex. 14. 13. Moyses duro, & incredulo, populo mansuetè respondet, memor vocations Dei, & salutis populi potius, quam injuriarum. q. d. Deus vos in dictum hunc locum concludi voluit, ut hic suam in vos curam, & potentiam ostenderet. Hic ergo locus vos magis in spem excitare debet: Deus enim maxime adest, quando spei superest minimum. Corn. à Lap. hic.

Toto corde universus Isrl ael sequitur Absalon. 2. Reg. 17. 13. patre despectò; sed audi fiduciam delerti 2. Reg. 16. 12. *isorte respiciat Dominus afflictionem meam.* Alvarez illustr. 2. morali.

Aajutor in opportunitatibus. Pl. 9. 10. illud est adjutorium dulcissimum, quod in necessitate præstatur. Cassidorus hic.

Erraverunt in subsudane. Psalm. 106. 4. *& infirmati sunt, nec fuit, qui aajvaret.* 12. *Clamaverunt ad Dominum, & liberavit illos.* v. 13.

Descendit itaque Jeremias in cœnum. Jer. 38. 6. Nota: Deus tunc maxime adest, cum res videntur planè desperatæ; si scitò invocetur. Quis non putasset actum de Jeremia cum communi regis, & principum, consensu in lacum projectus est? at Deus ei affuit, ut ei promiserat. Corn. à Lap. hic.

Angelus Domini descendit. Dan. 3. 49. Disposerat divina providentia, ut ministerio Angeli tres pueri liberarentur. Cur ergo non occurrit angelus, dum comprehenduntur, ligantur? Cum sunt in medio fornacis, spes omnis humani

auxilii defecerat. Sylv. in Matth. 20. cap. 35. q. 4. 6.

Et quatuor bestia grandes ascendebant de mari. Dan. 7. 3. Ecce meræ bestie apparent in terra; nullus homo, qui humanè agat, hinc leo, inde pardus, & ursus, profilierunt, ut luctuosam exerceant carnificinam. Quid tunc? *aspicietiam v. 6. 7. & ecce in nubibus cœli quasi filius hominis.* v. 13. Ubi meræ bestie, nullus homo comparer, mox Filius hominis in cœlo adest, qui sui vicarius hominis erga homines officium agat. S. Chrysol. f. 156. merito, quia humana delunt, divina succurrunt; & adest Deus ipse, cui homo non erat, qui adesset. Baeza t. 2. l. 9. c. 2. §. 22.

Dabo valem achor. Ol. 2. 15. id est, turbationis, ad aperientiam spem, q. d. turbatio, & desperatio, erit occasio, & initium spei. Ubi omnia videbuntur perditâ, & desperatâ, ibi affulgebit spes salutis: Deus enim in extremis difficultatibus maxime adesse solet. Corn. à Lap. hierogl. & anigm. in Prophet. hic.

Ex atro carcere Jonam c. 2. 2. nemo potuit liberare, nisi ille ipse, qui ventum, & mare concitavit. Stengelius t. 1. div. judic. cap. 11.

Ex Novo.

Ipsè verò dormiebat. Matth. 8. 24. Eucher. l. de formulis spirit: dormire Dei est anxius tardius subvenire. Propterea, inquit Theophylactus in Luc. 8. non in principio, sed in articulo periculi, excitatus illos servavit. Sic permittit Bethuliam Judith 7. 1. pœne in hostium deditiõnem venire: Susannam passus est ad supplicium duci Dan. 13. 43. Davidem à Saul ita obsideri, nulla appareret effugiendi spes 1. Reg. 23. 26. subitumque rebus ferè deploratis præbuit auxilium. Solent enim, ait Theophyl. homines tunc meminisse ejus, qui salvat, quando à magnis periculis occipiuntur. Barradius D. 5. Epiph. t. 2. l. 5. c. 15.

Quid timidi estis modicæ fidei? Matth. 8. 26. Si navicula jactata jam pene mergitur, ita ut mergeretur fluctibus; quomodo Discipuli non timeant? imò cur metu tententur? an nescitis, Dei auxilium rebus desperatis illucescere? Elcob. mir. Chr. hic obs. 2.

Quia venti, & mare, obediunt ei. Matth. 8. 27. Vela spei in DEUM maxime expandenda, cum tempestates exsurgunt. Jo. Rho affectus spei.

Impone manum tuam tuam super eam, & vivet. Matth. 9. 18. De hoc medio non agit, nisi quando filia jam erat in ultimo. Quamdiu media humana erant, iis usus est; at, deficiente in humanis omni spe, tunc ad Christum se confert. Sylv. hic q. 3.

Apostolis de nocte laborantibus, Marci 6. 48. apparuit JESUS non in prima vigilia noctis, sed circa quartam vigiliam noctis, cum jam ferè de labore desperarent. Did. Stella in huc 1. Non erant laborantes in remigando. Marci 6. 48. Non statim ab initio periculi, sed in fervore apparet Christus; ut, cum nove-

noverimus omnem nostram virtutem, & sapientiam, invenerimusque eam infirmam, ad illum confugiamus solum, qui salvare potest; & non nobis ipsis adscribamus. Theophylact. in c. 6. Jo.

Nec habent, quod manducent. Marci 8. 2. Quæres: an tribus illis diebus turba cibò caruerit? Resp. attulit cibum; sed tertià die jam erat consumptus, ut ait Theophyl. Cibum tunc præbuit, cum maximè turba egebat. Barrad. hic D. 6 t. 2. l. 10. c. 17.

Eo quòd esset Elisabeth sterilis. Luc. 1. 7. ubi nulla prorsus spes desiderati relucet, ibi Deus maximè suam gloriam ostendit. Did. Stell. hic. Quantò magis fuerint humana, & mundana cuncta remota, tantò præstantius credenda sunt divina asstitisse. Sim. de Cassia de gest. Salvat. l. 1. cap. 4.

Factum est verbum Domini super Joannem, & venit predicans baptismum penitentiae. Luc. 3. 2. Quando in principibus Mundi dominabatur tyrannis, in Sacerdotibus simonia; quando regnum Israel divisum erat in quatuor partes, & orbis totus in præcipitium abiret. Ità Deus piissimus in maximis periculis adest, quoties tibi in interitum tendenti manum præstat, pulsât ad ostium cordis tui &c. Did. Stella hic.

In medicos erogaverat omnem substantiam suam. Luc. 8. 43. *nec ab ullo potuit curari:* deserta ab omnibus, à Christo adjuta est. Stengel. t. 1. de div. judic. c. 12.

Deficiente vino. Jo. 2. 3. Naturale defecit, ut supernaturaliter factum apponeretur. Deficiente vinò humana lætitiæ, apponendum erat vinum spiritualis lætitiæ; & ad defectum summus erat adventurus profectus. Cum creatura voluntariè Mundo deficit, protectus divinus advenit. Sim. de Cass. l. 5.

Nondum venit hora mea. Jo. 2. 4. S. Chrysof. hom. 20. in Jo. *quid mihi & tibi mulier?* Alia præterea causa afferri potest non minùs necessarià, nè qua in miraculo suspicio oriretur: ab indigentibus enim, non à matre, id quaerendum erat. Quid efficacius oratione MARIE? & tamen ipsà deprecante non est tempus. Quando ergo erit? cum ipsa indigentia clamaverit. Præpotens ad impetrandum oratio MARIE; at ipsa necessitas vim obtinet magnam ad divinam in homines clementiam sollicitandam. Sylv. hic q. 19.

Vis sanus fieri? Jo. 5. 6. Deficiente humano auxiliò adest divinum. Sylv. hic q. 16.

Hominem non habeo. ib. Non habens hominem Deum reperit auxiliatorem; ipsa auxilii desitutio in servit ad patrociniùm. Alvarez Joseph illustr. illustr. 111.

Cum remigassent quasi stadia viginti quinque, aut triginta, vident Jesum ambulans supra mare &c. Jo. 6. 19. Prudenter, patienterque ferendæ sunt tentationes spe, quam habemus in Christo, etiamsi undique periculorum fluctus inundarent, salvati non dubi-

tantes. Operæ namque pretium est, observare, non statim, neque in principio periculorum, sed quando jam longè à terra remigaverant, Christum Discipulis apparuisse. Non enim incipientibus adversis gratia Christi confestim nos salvat; sed posteaquam terror increverit, & certum videatur imminere periculum: tunc è mediis fluctibus eripit, timorem abijcit, & ab omni periculo liberans, ineffabili virtute, in summam tranquillitatem periculorum fluctus transponit. S. Cyrill. Alex. in Jo. l. 3. c. 23. Sic operari Deus, sic adeste consuevit, ut, ubi defuerit humanum consilium, illic intercedat citius divinum auxilium. S. Fulgentius ferm. de Exodo.

Audivis Jesum, quia ejecerunt eum foras. Jo. 9. 35. Omnes deserunt eum hunc, parentes eum relinquunt in manibus Judæorum, dicentes, *etatem habet, ipsum interrogate.* v. 21. Judæi omnes illum à se abijciunt; sed Dominus abjectum ab omnibus suscipit. Bæza t. 2. l. 10. c. 3. §. 24.

Invenit Jesus, quod Mundus perdit; invenit salus, quod perditio derelinquit. S. Rupert. l. 9. in Jo. c. 9.

Ex Patribus.

Non efficitur clarum divinæ virtutis opus, si humanis adminiculis fulciatur. Orig. in lib. Judic. c. 7. hom. 9.

Meritò Genti sanctæ, quia humana defunt, divina succurrunt; & adest DEUS ipse, cui homo non erat, qui adestet. S. Chrysologus l. 1. §. 6.

Ubi humana deficiunt, ibi divina sese prode re mox incipiunt. Victor Antiochen. in c. 6. Marci.

Ubi deest auxilium humanum, ibi maximè adest divinum. S. Thom. in Job. cap. 12 lect. 1.

Quando videris, quæ sunt mala, & difficilia, imminere; nè animum demittas: hoc enim vel maximè est sperare; quando in media mala, & pericula gravia, fueris coniectus, tunc erigi. Quamvis vel ad ipsam mortem deveneris, & undique maxima immineant pericula; nè desperaveris: potest enim Deus in rebus vel difficilissimis, & impeditissimis, exitum invenire. Quando res in maximam inciderunt inopiam, tunc tu spera maximè: tunc enim Deus suam maximè ostendit potentiam, non à primordio, sed quando res fuerint planè desperatæ ab hominibus: hoc est enim tempus divini auxilii. S. Chrysof. in Pf. 117.

Cum ab hominibus nihil acceperimus, tunc à DEO majora recipiemus. Idem hom. 30. ad pop.

§. IV.

Auxilio divino cooperare, sic quod tuum est; presentibus naturalibus non pete supernaturalia.

Ex Veteri.

Consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Gen. 3. 7. Post hac fecit Deus Adæ, & uxori ejus, tunicas pelliceas, & induit eos. v. 21. Quarit Abul: cur Deus nova eis vestimenta dederit, qui sibi ipsi jam paraverunt? seu cur non ante eos vestierit, quam se ipsi vestirent? Resp. ut daretur locus humane prudentiæ, & ingenio. Si Deus statim venisset, & providisset de vestibus, sic homo sibi ipsi nihil faceret de operimento; per quod appareret, quid possit novitatis invenire humanum genus. Ut ergo homo faceret aliquid à seipso, non venit Deus statim. Did. Niss. fer. 5. post Dom. 3. Quadr.

Inclusit eum Dominus desoris. Gen. 7. 16. S. Chrysof. rem paucis dixit: præbuit se Janitorem Deus. Quid commovit Deum, Noemo 120. annorum labores injungere, sibi januam tantum obferendam reservare, cum opus totum tam facile fuisset per angelos conficere, atq; unum ostium claudere? sed in promptu causa est. Poterat Noemus ædificare arcam, etsi plurimum temporis labor hic absumpsisset, non potuit foris oblerare januam. Solus Deus facit, quod non possunt facere homines. Hoc nimirum exigit Deus, ut, quod possumus, faciamus. Fac ergo quod potes; suo muneri providentissimus pater non deerit. Doultr. de amore l. 5. c. 2. sect. 1.

Paravit illa (Rebecca) cibos, sicut velle noverat patrem. Gen. 27. 13. 14. Si divino oraculo Rebecca fudit Gen. 25. 23. major serviet minori, cur tam anxie sollicita est, ut Jacob paternam benedictionem praripiat? Rebecca divinæ promissioni innititur, sed nihil omittit industriæ; eâ sollicitudine filium tegit, acsi votum humanis artibus consequendum, otum à Domino sic sperat, acsi ipsa nihil egisset. S. Chrysof. hom. 53. in Gen. quia Jacob, & Rebecca, fecerunt ea, quæ à se fieri oportebat; & ille quidem obedivit consilio matris; hæc autem omnia, quæ ad se attinebant, implevit: tunc ultra bonus Dominus perfici fecit magnâ facilitate, quod omnium erat difficillimum; ne fieret actus istius imposturæ manifestus Isaac. Naxera in Jos. §. 6.

Divisit (Jacob) populum - in duas turmas &c. Gen. 32. 7. Jacob irato occurrens fratri divisit populum, qui secum erat. Prudenti hoc studio adhibito, ad alia, orationis putâ, arma se contulit v. 9. Oleast. hic, postquam, quod suum erat, fecerat, ad divinum recurrit auxilium. Did. Niss. l. 8. c. 2. in Phœnicie Græciæ.

Sumite de optimis fructibus terræ in vasis vestris, & deserite viro munerâ, pecuniâ quoq; duplicem ferre vobiscum. Gen. 43. 11. 12. Postquam hæc omnia diligenter bonus senecio Jacob ordinavit, tum ait:

Deus autem meus omnipotens faciat eum vobis placabilem v. 14. Oleast. faciendum quod in nobis est, postea ad preces recurrendum. Did. Niss. D. 18. Pent. §. 1.

Polyanth. Sacr. Tom. I.

Qui ascendit e lignum. Ex 15. 25. Janf. quorū ei Dominus aliquod certum lignum ostendisset, nisi illud naturalem ex sua natura virtutem insitam habuisset? nam alioquin virga ejus, quæ reliqua operabatur miracula, ad miraculi operationem suffecisset. Ubi ergo naturale aderat miraculum, miraculosa virga non adhibenda. Sylv. in acta c. 9. q. 38.

Hoc cibo alii sunt, usquequò tangerent fines terra Chanaan. Ex 16. 34. Oleast. Ostendit locus iste, non esse quarendam à Domino provisionem, cum nobis possumus providere. Did. Niss. D. 18. Pent. §. 1.

Ad Moysen Dominus Num. 31. 2. ulciscere prius filios Israel de Madianitis. Ad Saulem 1. Reg. 15. 3. vade, & percutite Amalec. Deus utrimque hostem, si vellet, flatu unice prostereret; jubet tamen parari Duces, cogi milites; ut, quod ille facit, homines cum Deo o-pus conficiant. Velloso in Judith 7. paræn. 10.

Circuite civitatem armari. Jos. 6. 7. Deus insignem victoriam, Josue offert; ille lætus hoc nuntio populum monet: *1 e, & circuite civitatem armari.* Supervacua videtur hæc cura, & exigua fides. Si Deus totam victoriam, clamoribus obtinendam, promittit; cur Josue milites armatos præire jubet? Tollatus: Josue omnibus modis humanâ providentiâ usus est in actionibus bellicis. Licuit ergo facere Josue, quid humanæ fuit prudentiæ, & in reliquis de divina sperare bonitate. Naxera in Jos. 6. §. 6.

Nè timeas eos, in manus tuas tradidi eos. Jos. 10. 8. Rupertus l. 1. hic: cum quo Dominus erat, & cui dixerat, nullus vobis poterit resistere cunctis diebus vitæ tuæ, exploratores mittit ad considerandam terram Jos. 2. 1. urbemque Jericho. Non ergo quisquam ullo in negotio tantum de celestibus præsumat præfidiis, ut non etiam ipse sibi adsit vigilando pro facultate ingenii, laborando proportionem virili: nam sicut minimæ fidei est de divinis dubitare promissis, sic nimix temeritatis, vel præsumptionis est, cœlestem per miracula præstolari opem, otiose sedendo, manibus compositis. Naxera in Jos. 2. §. 1.

Multam sapientiam Salomon à Deo accepit 3. Reg. 3. 12. *dedit tibi cor sapiens;* nec tamen consultores ab aula ablegat; imò senatum instruit viris sapientissimis. 3. Reg. 4. 5. & c. 12. 6. inuit consilium cum senioribus, qui assistebant coram Salomone. Naxera in Judith. 7. paræn. 10.

Deus Eliam refecturus juxta torrentem iussit manere, ut alimonix cura inter Deum, & hominem divideretur. 3. Reg. 17. 3. Bæza l. 3. c. 2.

Aqua pessima sunt, & terra sterilis &c. 4. Reg. 2. 19. &c. *Sanavi aquas has &c.* v. 21. Cur Propheta solum sanat aquas, non sterilitatem terræ? quia illud divinæ solum potestatis; at terram facere fertilem, sedulo excolendo, industriæ est humanæ. Sylv. addit. in Jo. 2. q. 4.

Domine, invade me. Tob. 6. 3. clamat ad angelum grandi pisce visis. Quid tunc Raphael? accurratne piscem occisurus? non, sed dixit ei:

U appre-

apprehende brachiam ejus, & trabe eum ad te. v. 4. Unum petit totò itinere Tobias ab Angelo, nempe ut ipse solus in Rages civitatem proficiscatur, quod Tobias etiam faceret, nisi manere cogereur à socio adjuratus, cujus vim adjuramenti tunc Raphael perrexit. Non aliud efficit angelus, quam quòd ei constat à Tobia peragi non posse: quiddid enim est sub nostra potestate, nec Angelis, nec soli virtuti divinæ est demandandum. Baza l. 3. c. 2. §. 18.

Præoccupaverunt omnes vertices montium. Judith. 4. 3. Israelitæ ad Holofernis potentiam repellendam magnis præidiis se muniverunt. Sed perinde ac si hæc omnia munimenta inania censerent, ad orationem confugerunt: & clamavit omnis populus ad Dominum v. 8. Lyr. fecit primò, quòd potuit, nè tentaret Deum; sed residuum, quod facere non poterat, Deo precibus commendabat. Certus omninò, omnia vana esse præidia, nisi divinitus firmarentur. Judith ipsa non modò in periculo precibus incumbat c. 9. 2.; sed & cum pugna pene confecta, & victoria parta, videbatur, (jam enim stabat ad lectum Holofernis altum dormientis, jam ejus gladium manu altera evaginarat, jam nihil aliud superesse videbatur, quam victoria) & nihilominus de successu adhucùmida orat Judith c. 13. 9. *confirma me Domine Deus in hac hora.* Mendoza in l. 1. Reg. c. 7. Annot. 28. sect. 2.

Assumentes arma sua. Judith 7. 5. Sanum profectò consilium, ita fidere Deo, ut manum cum illo admoveas. Id boni præstant milites. Pl. 149. 6. *exaltationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum,* precibus addunt gladios. Nec viva, quam Petrus vocat 1. 1. 3. nec bona, quam Paulus dicit 2. Thess. 2. 17. spes in Deo est, quæ ignava, & sine operibus.

Ex Novo.

Vidimus stellam ejus, & venimus adorare eum. Matth. 2. 2. Cur sub ipsum Hierosolymorum ingressum stella Magos destituit? quia habebant homines, à quibus erudiri poterant; itaque ubi lux suppetebat humana, desit Deus communicare divinam. S. Chrysol. Domum Petri venit Christus, ut domus Petri veniret ad Christum. Did. Niss. fer. 5. post Dom. 3. Quadrag. §. 1.

Non tentabis Dominum Deum tuum. Matth. 4. 7. Deum tentare, est sine necessitate de ejus providentia, vel potestate, experimentum accipere; omitendo videlicet, quod in se est, & secundum humanum modum sibi iacumbit, atque divinæ potentia se indiscretè committendo. Dion. Carth. hic.

Et saturati sunt. Matth. 14. 20. Cur nulla vini mentio? Resp. quia vicini erant fontes, ad quos pro potu accedere poterant. Sic Angelus Eliæ tulit panem, & vas aquæ, non vini, in deserto. 3. Reg. 19. 6. Corn. à Lap. hic.

Videntes eum super mare ambulantes. Matth. 14. 26. Abul: Christus semel tantum super aquas ambulasse legitur. Non facit Deus miracula absque necessitate. Did. Niss. D. 18. Pent. §. 1.

Adducunt ei surdum. Marci 7. 32. Adduci sibi illum vult Christus, quia vult cooperationem nostram. Sylv. hic q. 4.

Ece jam triduo sustinent me. Marci 8. 2. Theophyl. & nunc, nisi periculum ex ciborum penuria fuisset, neutiquam fecisset miraculum. Did. Niss. D. 18. Pent. §. 1.

Aquam vinum factam. Jo. 2. 9. Cur non creavit vinum ex nihilo? Ut doceret, non recurrendum ad altioris potentia remedia, quando faciliora sunt in promptu. Sylv. hic q. 27.

Tollite lapidem. Io. 11. 39. Quid dicemus? nunquid lapidem Dominus à monumento præceptò remove non poterat? qui inferni claustra propria virtute referavit? sed quod ab hominibus fieri poterat, homines facere præcepit; quod autem divina virtus erat, suâ potentia demonstravit. Lapidem enim à monumento remove, humanæ virtutis est; animam verò ab Inferno revocare, solius divinæ potentia est. S. Aug. l. 104. de temp.

Factum est, - ut infirmata moreretur. Act. 9. 37. Quare non ad agram Tabitham, sed ad mortuam, petitur Petrus? quia in morbo per media sperabatur salus; at mortuam nullum aderat remedium; tunc ad opem Dei per preces Petri recurrunt. Sylv. hic q. 32.

Petrus autem perseverabat pulsans. Act. 12. 16. Petrus mirabiliter liberatus est per angelum, quod per hominem fieri non poterat; postea verò, quæ erant humanæ indultia pro sua salute, & ab homine fieri poterant, ipse præstitit. Sylv. hic q. 14.

Ex Patribus, & aliis.

In omni consilicatione, & arumnâ, tam sollicitè sunt conquirenda remedia, ac si non esset Deus; at verò Deus etiam tam enixè rogandus, ac si nullum esset remedium. Did. Niss. Phœnix. l. 7. c. 2.

Factu, quod tuum est: nam Deus, quod suum est, satis, absque tua sollicitudine, & anxietate, curabit. S. Bern. de consid. ad Eugen. l. 4.

Quandiu adest humanum auxilium, homo non debet confugere ad divinum, quia hoc esset tentare Deum; sed debet illò auxilio uti, quantum potest. S. Thom. in c. 11. Corinth. lect. 6.

Arbores sylvestres nullum habent cultorem, uni divina providentia innituntur, & crescunt; & tamen proceriores sunt illis, quæ quotidie ab hortulanis irrigantur, fodiuntur, & stercoreantur. Ut discamus, à Deo omnia, si committimus, felicitus saturabuntur ligna campi, & Cedri Libani, quas plantavit. Pl. 103. 16. S. Hieron. ligna Dei. Scio literæ sensum; dico tamen & ideo saturari, quia ligna Dei, uni Dei providentia commissa, ab omni humana ope destituta. Octav. de Tuffo in Ecclesiasticum c. 2.

§. V.

Sine divini auxilio humana vana; in his præfidentem divinum deserit.

Ex Veteri.

Castra metatus est Israel juxta lapidem Adjutorii. 1. Reg. 4. 1. init. autem certamine terga

terga vertit Israel. Sic pereunt, qui quarunt auxilium creaturarum. Abbas Alois: nisi dixerit homo in corde suo: ego solus, & Deus, fumus in Mundo, requiem non habebit. Baeza l. 3. c. 2.

Obdormiuit in umbra juniperi. 3. Reg. 19. 5. ex lassitudine itineris, & mœrore animi. Porrò umbra juniperi exilis est, cum pro frondibus spinas habeat. Juniperi gravis umbra, quæ potius capitis dolorem in Elia auxit, quam minuit. Unde umbra hæc typus est humanorum praesidiorum; quæ, cum vana sint, & noxia, ad ea tamen confugiunt homines, dum potius ad Dei, Christi quæ umbra, & protectionem, fugere debent cum sponsa Cant. 2. 3. *sub umbra alius.* Et cum Jerem. Thr. 4. 20. *in umbra tua vivemus.* Corn. à Lap. hic.

Igitur audientes tres amici Job omne malum &c. Job. 2. 11. Veteranus miles solus in sterquilino mille confecit certamina; tunc diabolus solum pertimescens, convocat amicos auxiliatores: sciens, nihil magis nocere hominibus, quam auxilium creaturarum. Baeza l. 3. c. 2.

Salvum me fac-nè quando rapiat ut leo animam meam. Pf. 7. 2. 3. Absoloneum vocat leonem, se verò imparem fatetur ad resistendum. S. Chrysol. hic: Collegit exercitum, & multos secum habebat. quomodo ergo non est, qui redimat? nèque qui salvum faciat? Resp. quoniam nè universum quidem orbem terrarum auxilii loco habet, nisi openi divinam fuerit affectus. Nec se esse ducit in solitudine, licet solus sit, si sit illius auxilii particeps. Ita ille. Hinc fugiens Absoloneum incedebat contra viam Olivæ 2. Reg. 15. 23. typum divinæ misericordiae. Mendoza in l. 1. Reg. 7.

Non salvatur rex &c. Psalm. 32. 16. Saulem non potuerunt à nece defendere ingentes copiae militares. Goliath gigantem robustissimum David puer occidit. Joram filium Achab veloci curru fugientem sagitta velociter interemit. Belarm. hic.

Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis. Psalm. 107. 13. Omnè namque auxilium hominum, te non adjuvante, vanum, & inutile est. B. Theodoretus hic.

Similitudo vultus eorum. Ezech. 1. 10. Quid mysteriosus ille currus Ezechielis significabat, tractus à bobus, leonibus, aëquillis, & hominibus? Juxta literalem sensum, Hier. Bradus, Gaspar Sanchez, Lud. Alvarez, censent moti circumstantiam temporis, quò talis visio facta est: utpote post devastatam Jerosolimam à Babyloniis, Deum ob victoriam reportatam ab inani spe sui rebellis populi, qui sine Deo felicitatem sperabat, triumphum instituisse solennem, in quo illa animalia essent symbola devictarum praesumptionum, quibus se fundabat populus in perpicacitate

suorum consiliorum, significatorum per aquilam; fertilitate agrorum, expressa per bovem: vigore adolescentum, denotato per vultum hominis; experientia, & generositate bellicorum Ducum, declarata per leonem. Quando ego vobis non faueo, frustra adhibetis consilia, frustra exstruitis munitiones, leclissimum scribitis militem, Duces colligitis expertissimos. *Sine me nihil potestis facere.* Jo. 15. 5. Aloyf. Juglar. conc. 33.

Ex Novo & Patribus.

Jesus ductus est in desertum. Matth. 4. 1. Solitudine se armat Christus contra hostem; creaturarum auxilia refugit, ut vincat. Baeza l. 3. c. 2.

Angelis suis mandavit de te. Matth. 46. Cur Angelorum auxilium promittis? an non magis Pater adstaret Filio? an non Filius sibi sufficeret? Cur, relicto Deo auxiliatore, angelicas manus adjuvantes proponis? Iam hæc solum putabat persuasum præcipitium, si illius oculi ad creaturam, relicto Deo, respicerent. Baeza l. 3. c. 2. §. 17.

Quis potest servare eum, qui à Deo oppugnatur? aut quis perdere eum, cui ipse fert auxilium? S. Chrysol. l. de virginit. Apud Juglar. conc. 33.

Sicubi Christus adest nobis, est aranea murus; at cui Christus abest, & murus aranea fiet. S. Paulinus.

Vana sunt nostra studia, nisi Dei muneribus adjuventur. Homo diligentia sua terram profcindit, & semen spargit; Deus autem opportunis imbribus, quæ fata sunt, irrigat; facitque, ut mollibus terræ cavernis radices diffundantur; solem impertitur; qui terram calefaciat, & calore suo plantas sursum eliciat &c. Ex his si unum aliquid desit, inanis deprehenditur labor. S. Nilus Levit. 11.

Varia de auxilio DEI,

Dormire ipsum dicimus, cum quiescit à nobis, & quasi nos negligit, de causis, quas ipse novit. S. Greg. Naz. or. de S. Spiritu. *Exurge, quare obdormis Domine?* Pf. 43. 23.

Contingit quandoque, quòd Deus hominem non exaudit ad votum, sed ad profectum, sicut medicus infirmum. S. Thom. in Job. 9. lect. 3.

Est justum consilium, ut, qui se à potentiori adjuvari vult, adjuvet & infirmo rem, in quo est ipse potentior. S. Aug. l. 1. de serm. Dom. in monte.

Nihil fortius est eò, qui divinam munitur opitulatione; sicut etiam nihil infirmius eò, qui illa privatus est. S. Chrylostom. hom. 60. in Gen.

